

lum secundum communicationem impulsus, et amoris formaliter, identice autem accipit communicationem naturæ. Ergo similiter si intelligere seu intellectualitas se habet ut proprietas, et aliquid antecedens ipsam ut natura, si Filius ex vi suæ processionis formaliter procedit secundum intelligere non procedit formaliter ut similis in natura, sed identice, formaliter autem ut similis in intelligere, quod est consecutum ad naturam. Ergo ut D. Thomæ probet efficaciter quod processio Verbi est generatio substantialis, et in eadem natura existens, quia in Deo idem est intelligere et esse, oportet quod ipsum intelligere sumat pro esse, quod formaliter est esse naturæ, et non solum identice. Patet consequentia, quia si intelligere solum est identice esse naturæ, processio quæ ex vi sua formali attingit ipsum intelligere, solum ex vi sua formali attingit id quod formaliter est consecutum ad naturam, et solum identice est natura. Ergo non probat efficaciter ex hac ratione processionem Verbi esse generationem, quia etiam esse amoris identice est esse naturæ non formaliter; et tamen processio amoris non est generatio.

XV. Respondent aliqui illam rationem non esse efficacem, ad eam veritatem probandam, nisi accedat ratio imaginis, quæ nullatenus convenit Spiritui Sancto. Secunda autem Persona in divinis hoc speciale habet, quod ex vi processionis communicatur illi intelligere, quod est ipsum Verbum, id est, esse imaginem ejus a quo procedit, quod non habet Spiritus Sanctus. Unde cum addit D. Thomas quod intelligere est esse Dei, tantum hoc addidit ut significaret intellectionem Dei, non esse aliquod accidens sicut in nobis, sed ipsam substantiam Dei intelligentis, et ideo Verbum est Filius,

quia habet a Patre eandem naturam quæ est radicaliter intellectiva, et ipsum intelligere, quod non distinguitur a substantia Dei materialiter, quod non sufficit ad constituendum Filium, nisi addatur ratio imaginis, vel certe S. Thomas solum probat Filium esse ejusdem naturæ cum Patre, quia procedit per intellectum, et intelligere Patris est ejus esse ad quod sufficit identitas materialis.

XVI. Cæterum hæc solutio, et deficit in explicanda mente D. Thomæ et in ipsa ratione secundum se. Deficit quidem in mente D. Thomæ, quia cum generatio substantialis postulet duo, scilicet quod procedat in similitudinem sui principii, et quod hæc similitudo sit substantialis, et in eadem natura non in proprietatibus tantum, et utrumque debet habere ex vi formalis processionis, ut generatio substantialis sit: primum quidem scilicet procedere, ut similitudinem bene probari debet ex ratione imaginis, quam D. Thomas hic non excludit sed supponit. Quantum autem ad secundum, scilicet quod procedat in eadem natura, ita quod hæc similitudo imaginis substantialis sit, non probat D. Thomas ex ipsa ratione imaginis, sed ex eo quod intelligere Dei sit ejus esse, et facit hanc probationem, quod procedit ut similitudo in eadem natura existens, eo quod in Deo idem est intelligere, et esse. Si autem intelligere non est esse naturæ, sed alicujus proprietatis, solum autem identice est naturæ, non probaret, quod hæc imago est substantialis formaliter, sed solum identice, quia intelligere formaliter solum esset tunc esse proprietatis, naturæ autem solum identice, imago autem requisita, et inventa in generatione debet esse formaliter, et non identice substantialis, quia debet esse imago ut assimilativa, et propagativa natu-

ræ, ut ipsa definitio generationis dicit, in similitudinem naturæ. Ergo non probat D. Thomas id quod requiritur ad formalem rationem generationis, nisi necessario supponat, quod intelligere non solum est esse proprietatis, sed formaliter ipsius naturæ, quia per ipsum propagatur seu assimilatur in natura. Est etiam contra rationem, quia non sufficit adjungere isti processioni rationem imaginis nisi adjungatur, quod illa imago substantialis sit, alioquin non erit in similitudinem naturæ, ut natura substantialis est: et requiritur quod sit talis formaliter, quia ex vi processionis, id est, ex vi termini formalissimi, prout terminat generationem, debet esse in similitudinem naturæ, et consequenter oportet quod ex vi suæ processionis attingat esse substantiale, et non solum materialiter, et identice, quia natura, ut natura formaliter substantia est et non proprietas, cum sit principium motus, et quietis.

XVII. Secundo dices: Processionem voluntatis non esse generationem, non quia voluntas non pertinet etiam ad constitutionem naturæ, sed quia non pertinet principaliter, et primario, sed solum secundario, ad generationem autem requiritur, quod sit processio naturæ secundum id, quod est primum, et principale non secundum id, quod est secundarium, et minus principale. Sed contra est, quia generatio usque ad specificam, et totalem differentiam ipsius geniti attingit, et totam naturam exhaurit, si est plena, et perfecta similitudo, qualis debet esse si generatio perfecta est, quia essentialiter generatio est processio in similitudinem naturæ. Unde si est perfecta generatio debet esse perfecte assimilativa; in divinis autem generatio perfectissima est etiam in ratione generationis, ergo

oportet quod terminus ejus formalis sit totum id quod constituit naturam in formali, et specifica ratione naturæ. Igitur vel voluntas pertinet ad ipsum constitutum naturæ in ratione formali, et specifica, vel solum identice, aut consecutive. Si hoc secundum, est id quod nos dicimus, scilicet quod formale constitutum naturæ est solum intellectualitas in actu puro, quæ est ipsum intelligere, non autem voluntas per se, et formaliter loquendo. Si dicatur primum, ergo Verbum ut formalis terminus est generationis, non solum est Filius ut Verbum est, et in linea intelligibili, sed etiam ratione voluntatis adjunctæ, quod omnino falsum est, quia in ratione Verbi formalissime habet perfecte et adæquate rationem imaginis substantialis et ad intra, ergo et Filii.

XVIII. Tertio instabis: Filio ex vi suæ processionis non communicatur intelligere active, sed intelligi passive, de ratione enim Verbi, ut Verbum solum est quod sit intellectum seu terminus intellectionis, non principium elicativum illius, ergo ex vi suæ formalissimæ processionis solum communicatur illi ipsum intelligi per modum termini, in quo scilicet representatur objectum ut intellectum, non intelligere per modum principii et actus, ergo si illi formaliter communicatur natura, non consistit natura in intelligere, sed in intelligi. Respondetur naturam divinam non consistere in intelligere activo, ut præscindit ab intelligi passivo, sed ut comprehendit utrumque in sua formali ratione, si quidem intelligere ut est actus purus habet summam et totam perfectionem in genere intelligendi, et sic est intelligere et intelligi; et similiter intelligi in actu puro est etiam ipsum intelligere, quia est summa immaterialitas per modum substantiæ, ergo est ratio intelligendi etiam

active per locum intrinsecum: et hoc modo communicatur Verbo ex vi suæ formalis processionis, quia communicatur illi intelligi, ut est in actu puro. Optime ergo probavit D. Thomas quod Verbum procedit ut similitudo in eadem natura, quia intelligere est esse, sumendo intelligere ut etiam includit ipsum intelligi terminative, quia est actus purus in genere intelligibili.

XIX. Quare totum fundamentum hujus conclusionis resumitur in hoc, quod illud debet esse formale constitutum naturæ divinæ, quod est primum et per se principium operationis proprie, et per se primo convenientis Deo, id enim est definitio naturæ, sed propria operatio divina est intelligere, quia ista operatio est maxime spiritualis, et segregata a potentialitate et imperfectione, et est prima, quia operatio voluntatis supponit ipsum intelligere, si quidem ab eo regulatur et dirigitur, ergo oportet quod natura divina constituatur formaliter per id, quod formaliter est principium talis operationis: ergo nullus conceptus antecedens intellectualitatem et ad illam lineam formaliter non pertinens, non potest esse formale constitutum naturæ ut natura est, quia idem est conceptus naturæ quod principium operationis. Rursus in natura divina non potest intelligi, quod natura sit principium per modum actus primi respectu operationis, eo quod est principium tamquam actus purus, et consequenter tamquam actus in summo, ergo in ipsa institutione naturæ, ut natura est actus puri, ita concipi debet ratio principii, quod formalissime sit etiam actus ultimus seu secundus, sine quo non potest intelligi actus in summo et actus purus, ergo non potest constituere naturam actus puri, aliqua intellectualitas per modum actus primi, sed ipsum intelli-

gere quod est actus ultimus, ita quod in illa natura principium et operatio formaliter coincidunt, sicut in Persona divina suppositum et relatio. Unde quando dicimus, quod in Deo natura est principium, non intelligitur principium prout ordinatum ad actum secundum, sed prout est ipsemet actus secundus, id est, principium in actu puro, seu in actu ultimo, in quo idem est formalissime principium et terminus, primum et ultimum, Alpha et Omega. An vero possit ibi intelligi ratio principii, respectu ipsius intelligere, non prout intelligere dicit actum ultimum præcise, sed prout potest concipi sub ratione operationis ut egredientis, quæ saltem virtualiter eminenter sit in Deo, jam explicavimus.

COROLLARIUM EX DICTIS.

XX. Colligo ex dictis, in Deo nullo modo posse etiam ratione nostra concipi intellectualitatem per modum actus primi comparative ad intelligere per modum actus secundi. Sub conceptu autem operationis, ut operatio dicit egressionem ab operante, solum eminenter operatio est in Deo. Explicatur hoc, nam operatio dicit duo, scilicet egressionem ab operante, et rationem actus ultimi seu secundi, ratione cujus dicitur operans in actu et perfectione ultima in genere operandi, et si sit operans vitale constituitur in ultimo actu vitæ, quatenus dicitur operans, non ut motum sed ut movens se. Dicimus ergo, quod si in ipsa intellectione, consideremus id quod habet de actualitate, impossibile est distinguere in Deo rationem actus primi ad intelligendum, et rationem potentiae non solum formaliter, sed neque radicaliter seu virtualiter, non solum per modum principii

proximi, seu potentiae superadditæ, sed neque per modum principii radicalis et virtualis, quod aliqui faciunt denegantes quidem Deo conceptum intellectus per modum potentiae proximæ et formalis, quia imperfectio est, non tamen conceptum naturæ distinctæ ab actu secundo intellectionis, per modum potentiae seu principii radicalis vel virtualis. Cæterum si consideretur in ipsa operatione non id quod est actus ultimi et secundi, sed id quod egressionis est a principio operante abstrahendo ab hoc, quod illud principium se habeat per modum actus primi, cum aliqua imperfectione vel minoritate (ratio enim egressionis ut sic ab aliquo principio non contradicit actui puro, ut patet in Personis procedentibus ad intra) sic non potest inveniri in Deo formaliter principium operans a quo egrediatur operatio, invenitur tamen eminenter et virtualiter, quidquid in creatis habetur de perfectione operationis egredientis a suo principio.

XXI. Ratio utriusque partis sumitur ex eo quod in Deo excluditur omnis ratio, et umbra actus primi respectu actus secundi propter rationem actus puri, et exclusionem omnis potentialitatis. Ratio vero et conceptus egressionis in ipsa operatione excluditur a Deo propter rationem summæ unitatis, quæ non compatitur aliquam distinctionem in his quæ sunt absoluta, et ubi non obviat relativa oppositio, sicut inter Personam procedentem, et eam a qua procedit, si enim egrederetur operatio a Deo, oportet distingui a suo principio a quo egreditur, si egressio realis est, qua ratione D. Thomas docet infra, quæstione xxv, art. 1 ad III: « Quod in Deo salvatur potentia quantum ad hoc quod est principium effectus, non autem quantum ad hoc quod est princi-

pium actionis, quæ est divina essentia, nisi forte secundum modum intelligendi prout divina essentia (quæ in se simpliciter præhabet quidquid perfectionis est in rebus creatis) potest intelligi et sub ratione actionis et sub ratione potentiae, sicut etiam intelligitur et sub ratione suppositi habentis naturam et sub ratione naturæ. » Ita D. Thomas. Quæ auctoritas manifeste explicat hoc nostrum corollarium. Nam in Deo inveniri potest potentia, secundum quod potentia se habet ad effectum, seu terminum, sicut etiam in notionalibus datur potentia generativa respectu personæ, non respectu actionis generativæ. Et tamen invenit D. Thomas posse reperiri secundum nostrum modum intelligendi rationem principii respectu actionis, propter eminentiam divinæ essentiae habentis in se quidquid perfectionis est in rebus creatis, et sic potest concipi et sub perfectione actionis, et sub perfectione potentiae. Quod ego explico de perfectione actionis et potentiae sub conceptu principii et actionis, ut egressio non sub conceptu actus primi ad secundum, hoc enim nec formaliter nec virtualiter potest inveniri in Deo.

XXII. Itaque ratio actus puri in Deo non compatitur aliquam rationem actus primi, neque virtualiter, neque formaliter. Ratio est, quia non potest constitui conceptus aliquis in Deo, quantumcumque præcisus, et in eo quo unum attributum distinguitur ab alio, nisi in ea præcisione ingrediatur ratio actus puri, ergo ille primus conceptus intellectuatus, sive radicalis et remotæ pro substantia, sive formalis et proximæ pro potentia intellectiva, non potest concipi in Deo, nisi sub conceptu actus puri in linea et ordine intelligendi, sed incipiendo ab actu puro (sicut incipit omnis con-

ceptus cujuscumque attributi vel rei divinæ) repugnat non incipere ab ipso actu ultimo, qui est intelligere, sed ab aliquo antecedente, et dicente ordinem ad ipsum ut ad ultimum seu secundum in genere actus, ergo implicat intelligere aliquid in Deo per modum intellectualitatis in actu primo etiam virtuali, quia hoc ipso non erit conceptus actus puri in linea intelligibili. Minor probatur, quia actus purus formalissime est actus summus, et ultra quem non est actualitas imaginabilis, ergo incipit ab actu ultimo, in eo genere et linea, in quo actus purus est, oportet quod in illa in ordine intelligendi incipiat ab actu ultimo illius, illumque formaliter in illo conceptu explicet et includat, hoc autem est intelligere qui est actus secundus. Consequentia vero patet, quia si in linea intelligendi dividimus virtuali distinctione duos conceptus, unum qui antecedit intelligere, ut est actus secundus, alium qui sit ipsum intelligere, de illo primo sic præciso et distincto inquiri, an intelligatur ut actus purus in genere intelligendi, vel non. Si non, nondum intelligitur ut constituens naturam divinam quæ solum est actus purus. Si primum, ergo jam ibi relucet ipsum intelligere in actu secundo, et sic impossibile est etiam per rationem nostram concipere aliquid in Deo in linea intelligibili, ut radicaliter et fundamentaliter se habens ad ipsum intelligere, cum prima ejus radicatio et constitutio, si divina est, fundetur et incipiat ab intelligere ut est actus secundus, hoc ipso quod incipit a ratione actus puri.

XXIII. Cæterum si in ipsa intellectione consideremus non id quod est ultimæ actualitatis in genere intelligibili, sed id quod operationis est per modum egressionis a suo principio, hoc dicimus non reperiri in

intellectione seu operatione Dei formaliter, reperiri tamen virtualiter et eminenter juxta auctoritatem S. Thomæ supra inductam, quia hoc non est aliud quam Deum propter eminentiam actus puri in linea intelligibili, habere in unitate quod in creaturis est per pluralitatem et distinctionem operationis egredientis a suo principio, operatio autem Dei si egrederetur realiter a suo principio, distingueretur ab illo quod in absolutis stare non potest. Hic ergo modus habendi virtualiter et eminenter in unitate, quod divinum est in creaturis, solum adstruit unitatem in Deo, et destruit pluralitatem et divisionem inter absolutas perfectiones, qualis est in creaturis. At vero virtualitas actus primi et secundi, secundum quod ratione nostra distinguitur, aliquid minuunt de intelligentia actus puri, quia hoc ipso quod distinguendo attribuimus Deo aliquid ante actum secundum, pro tunc nondum in illo intelligimus rationem puri actus, quia hic non est sine ultimo actu in ea linea, in qua debet concipi ut actus purus.

XXIV. Sed dices: Intelligere in Deo dicit actualem tendentiam in objectum; sed possumus in Deo distinguere ratione nostra aliquod principium virtuale et radicale respectu actualis tendentiæ in objectum: ergo datur in Deo aliquod principium virtuale intellectionis antecedenter se habens ad ipsum intelligere. Major est certa, quia si intelligere sumatur pro aliquo antecedente actualem tendentiam in objectum, illud non dicitur intelligere in actu secundo, quia non actu secundo attingit objectum, sed est attractivum illius, ergo per modum principii et actus primi, ergo ut sit ipsum intelligere oportet quod sit actu attingens objectum. Minor vero probatur, nam in ipsa actuali attingentia objecti intellectio divina potest compati aliqua contingentia saltem quantum ad denominationem ortam ex objectis attingendis, quia multa ex his quæ modo videt scientia visionis posset non videre, in ipso autem constitutivo divinæ essentiæ non potest compati aliqua contingentia etiam quoad denominationem, ergo oportet fateri quod est sufficiens fundamentum ad distinguendum nostro modo intelligendi inter constitutionem divinæ naturæ, et intelligere in actu secundo, ut dicit actualem tendentiam in objectum. Quotiescumque enim verificantur aliqua contradictoria in divinis, est fundamentum ad distinguendum nostra ratione inter talia prædicata; sicut quia essentiæ convenit communicari est sufficiens fundamentum ad distinguendum inter essentiam et personam ratione nostra.

XXV. Confirmatur, quia de ratione viventis est ut in actuali vita dicatur se ipsum movere et se perficere, Deus autem vivit vita perfectissima intellectiva, ergo in ea movet se, sed hoc non facit producendo eum vitalem formaliter, ergo virtualiter, ergo admittenda est in Deo distinctio virtualis principii se moventis et ipsius actus vitalis, quo se movet et perficit sicut admittitur distinctio virtualis immutabilitatis et æternitatis, quia immutabilitas est ratio illius.

Respondetur negando minorem. Et ad probationem illius dicitur quod in actuali attingentia objecti secundarii potest inveniri aliqua denominatio extrinseca contingentiæ orta ex objecto ipso in tali vel tali statu contingentiæ posito, in quo non habet necessariam connexionem cum objecto primario talis cognitionis divinæ, sed dependentiam a decreto libero Dei. In attingentia autem objecti primarii, et

eorum quæ necessariam connexionem habent cum illo, non admittit ipsum actuale intelligere Dei aliquam denominationem contingentiæ. Unde non sequitur quod constitutivum divinæ naturæ, antecedit ipsum intelligere Dei absolute et secundum attingentiam objecti primarii, sed quod antecedit intelligere Dei sub aliqua connotatione vel respectu particulari ad creaturas, secundum quem non constituit, sed se habet ut attributum. Unde etiam, ut infra dicemus, dantur in Deo aliqua attributa pertinentia ad intellectualitatem Dei, ut sapientia, providentia, prudentia, et similia, et idem est de visione intuitiva creaturarum. Et hæc sunt vere attributa et non constitutivum, quia non dicunt ipsum intelligere absolute secundum suam actualitatem et universalissimam perfectionem, sed ut explicat particulares connotationes vel respectus ad creaturas, sub quibus intelligere ut respectivum, est attributum suimet, ut absolutum in actu puro intelligendi. Nec dicitur, contingentia convenire vel denominare ipsam intellectionem, quia ita oritur a Deo ut posset non oriri, necessitas vero ex eo quod ita oriatur, ut non possit non oriri: nam ut ostendemus quæstione decima nona agentes de actu libero Dei, non est in Deo libertas, neque contingentia per hoc quod actus possit oriri, quia in hoc non est libertas in Deo, cum in eo actus non oriatur, nec procedat, sed sit ipsa substantia Dei; sed in hoc stat libertas quod subjeiat suæ voluntati rem volitam creatam attingendo illam seu immutando, vel relinquendo. Unde non sequitur, quod intellectio in Deo denominetur contingenter videre per respectum ad suum principium a quo possit non oriri, sed per connotationem ad objectum, quod potest omittere sub exercitio existendi.